

*Geneleos*, duodecim codicibus, quos ferè omnes legimus, Authore vivente, multa cum ex sacris Biblijs & Doctoribus eruditione refertis, tum etiam ex Theologiâ Scholasticâ, quæ sex dierum primordialium opera expendit, in quarto.

Hispanâ linguâ, *Exercitia S. Antonij Patavini, degentis in solitudine, id est, Christiana meditationes ex Scriptis S. Antonij desumpta, verbis ejusdem & sententijs per totum deductis opusculum*, quod itidem legimus.

*Sermones item panegyricos & morales*. Tomis 5. eodem etiam idiomate.

*Monumenta pro historiâ Congregationis sue Mexicæ recondâ*. In quarto. Quæ omnia Mss extant apud Symmistas suos.

257. FR. ANTONIUS ESCARAY ( Non Escaroy, ut bis legitur in Bibliotheca Franciscana, nempe tom. 1. pag. 103. & tom. 3. in Appendice post Indicem alphabeticum ) Natione Hispanus, ortus apud Mantuam Carpentorum, in Americam nostram deductus ab Illmò. viro D. D. Fr. Bartholomæo Garcia de Escañuela, ejusdem Instituti, Episcopo Portudivitensi, ut à secretis sibi esset & sacris Confessionibus, eo usus est etiam pro Testamento & Piarum causarum Judiciis, proque ejus nomine Visitatoris titulo invisendâ Provincie parte. Promotus Antistes in Ecclesiam Novæ Cantabrie, vul-

go dictam de Guadiana, Nostrum secum transtulit eisdem institutum muneribus, si unum excipias Judicis Testamentorum & Piarum Causarum. Undecim apud Episcopum annis moratus, Mexicanæ se adjunxit Provincie Regularis Observantiae S. Francisci, nuncupatæ à S. Evangelio, cui à secretis fuisse anno 1681. habemus ex Oratione in laudem immaculatæ Virginis in Universitate Mexicanensiu ab eo recitatâ, Doctoribusque plaudentibus edita. Certè multo cum Sapientum plausu sæpe per id tempus è superiori loco dicebat, quamvis non defuerint obrectatores, plagij ipsum nota inurentes, perinde quasi Domini quondam sui D. Bartholomæi de Escañuela, notissimi Concionatoris & celeberrimi, partus asciceret, Aspeticumque Graculum ageret. Hanc ut à se propulsaret calumniam, eidem Illmò. Præsuli nuncupavit concionem, quam & dixit & edidit de *Compensandis Afferioris nostri ac vindicis dilectissimi injurijs*, Mecenatem obtestatus, ut ea clientem liberaret criminatione, palamque diceret, quot & quales sibi suggerisset sermones, aut scriptos, ut eisdem uti posset, unquam communicasset. Faretur quidem Magistrum auscultasse Patronum suum, à quo didicisse profecisse que multum, quod hominis est ingenui, haud erubescit; ceterum Corniculæ instar alienis implumescere calamis, furtoque or-

nari, pro sui nominis honore detrectat. Sanè nulli deinceps dubium ea de re hæsit, experientiâ cunctos docente, quantum in oratoria Facultate emineret, quod clarius multo patuit atque diffusius, brevi eo Collegium Querentansè à S. Cruce nominatum petente, quod nuper erectum fuerat, & de Propaganda Fide institutum proficetur, Sodalibus ejus expeditionibus spiritalibus, non modò Fideles inter, sed verò etiam inter Paganos deditis.

258. Eò ubi se Noster recepit, concredita sibi à Deo talenta in animarum procurandâ salute collocavit, & quòd non dum liceret infidelibus evangelizare, Fideles duobus comitibus lustrandos suscepit in vastissima Dicecesi Guadalaxarensi, seu Novæ Gallectiæ, quam peragravit totam, anno 1685. solido in expeditione illa consumpto, eximijs conquestis penitentiae & reformationis innumerabilium penè christianorum lucris, quæ recenset diligens æque ac eloquens Chronographus eorundem Collegiorum Fr. Isidorus de Espinosa lib. 1. cap. 20. & 26. Nec minori profectu res in ipsa Urbe primaria, Episcopi & Regij Auditorij Sede, successit, Nostro primâ hebdomade singulis alternatim diebus ad frequentissimam multitudinem è suggestu dicente, & vicissim clarissimo Pontifice D. D. Joanne Jacobo de Leon Garabito, qui in Antonij suffectus locum hebdomade

sequenti, quòd ægrotasset, tribus continenter diebus ejus vires sustinuit. Hinc versus Zateccas Noster iter instituit, qua in Urbe difficile dictu est, quantum verbo & exemplo profecerit, jactis ex tunc seminibus, ut tempore procedente amplissimum ibi Collegium instituti de Propaganda Fide surgeret, quòd à Guadalupe dictum jam diu eminet. Reliquum erat ut Paganis eandem prope ditionem huc illucque vagantibus ad littora fluminis Blanco dicti in Novo Legionis Regno, Catholicæ Fidei dies illucesceret, quam ut illis Noster afferet, multis egit ac multis, donec doctus experimento post non paucos menses, immaturam adhuc segetem novit, nec mitescere posse fugientes barbaros, à quibus subinde recessit, alia in Collegio suo, quod reperijt, acturus, quæ quoniam nos fugiunt, ea tacente Historiographo, & in alterum Tomum, qui non dum est editus, reservante, silere & nos cogimur, scripta jam hominis relaturi sequentia

*Doloris voces ex scelevum multitudine nata, quæ luxu causa vestrum oriuntur.*

Hispano sermone liber intextus est multis & gravissimis adversus prophanorum habituum luxuriam objurgationibus, quam egregio infectatus est Authòr zelo, & fructu haud minori in concionibus suis, plurimas ab istiusmodi vanitate feminas revo-



cans. Hispali, typis Thomæ Lopez de Haro 1691. in quarto.

Vernaculo item idiomate Sermones publicavit, quos subdimus.

*De Immaculata SS. Mariæ Virginis Conceptione.* Mexici, litteris V. Bernardi Calderon 1681. in quarto. Legitur tom. 17. Collect. nostræ.

*Vindiciæ pro Christo Domino injurijs affecto.* Mexici, eisdem formis & anno. Extat t. 15. dict. Collect.

*Panegyrica oratio in solenni B. Virginis sub invocatione de Aranzazu festiuitate.* Ex eadem Typographia 1683. in quarto. Habetur tom. 75. ejusdem Collect.

*Oratio panegyrica habita pro Comitibus Provincialibus Mexicanae S. Evangelij.* Ex eadē Officina 1683. in quarto.

*Oratio pro Christi Domini funere prosequendo apud Queretarenses dicta.* Eisdem itidem typis Mexicanis V. de Calderon 1682. in quarto. Clauditur tom. 66. dict. Collect.

Cætera ejusdem opera latent nos.

259 D. ANTONIUS ESPERO, cujus Natio & Patria noticiam adhuc aufugiunt nostram, Mexicanus fuit ut minimum Domicilio, novæque Mexici novus item Columbus, si fides adhibenda est diligentissimo Torquemadae tom. 1. Indicæ Monarchiæ lib. 5. cap. 51. restanti primum fuisse cum qui vastissimam Provinciam detexerit, tot tantisque insignem dotibus, ut nova propterea Mexicus audiat. Nec vero Betancurtius, vir itidem admodum cru-

ditus, sic à Torquemada dissentire hac videtur in re, uti nullo conciliari fœdere possint. Quamquam enim jam inde ab anno 1540. hanc Franciscus Vazquez Coronado conquirendam regionem susceperit, & ut cumque aperuerit, in quam rursus anno 1581. Franciscani à Betancurtio nominati, inquiserint; Nolter verò sequenti 1582. eidem accinctus operi fuerit; stare quidem optime potest, hunc demum explicatè aperuisse Provinciam, citraque hæsitationem res ejus, sin minus omnes, plerasque bono in lumine collocasse. Profectò Nolter, uti idem Torquemada Author est nobis, peritior instructorque omnibus qui ad ea usque tempora novam perlustraverant Mexicum, in his quæ concernunt ipsam, merito est habitus. Nec ea tantum gloria conspicuus quod amplissimam aperuerit ditionem industriæ, consilio, & militari robore insignis, in quam mox Evangelium delatum fuit multo cum animarum fructu, quotidie ad nostra usque tempore germinante; sed verò etiam, quod proprijs militaverit stipendijs, secumque equos in expeditionem illam centum, armatosque milites duxerit multo in his omnibus ære suo expenso. Tandem obicibus bene multis superatis strenuè, mense Novembris proximè consequentis anni 1583 comite F. Bernardino Beltran, Seraphici alumno Ordinis,

in optatam devenit regionem, cuius, idiomate hispano, construxit historiam brevem, seu

*De Nova Mexico narrationem historiam,* prout monet præcitatæ Torquemada loco supra indicato pag. 708. editionis Madritanæ de anno 1723. Betancurtius verò nostri meminit in Theatro Mexicano part. 4. tract. 3. pag. 95. editionis Mexicanæ anni 1697.

260 D. ANTONIUS FERNANDEZ LECHUGA, longè ad minus domicilio apud nostros habitò Mexicanus, ut ex Nuncupatorijs præfixis editis opusculis ejus conjectu est facile, Natione item & Patria an fuerit ambigimus. Vir fuit 36. annorum curriculum lectioni deditus & studio cum historiæ aliarum, tum præcipuè earum, quæ Genealogijs intextendis subserviunt, Familiarum Stemmata indicant & Insignia, illustres ob oculos majorum imagines Nobilibus exhibent, avos atavosque clarissimos: hinc Nobiliaria, ut dicunt, præ manibus semper terebat, deque stirpe & genti consultus, pro ea qua pollebat eruditione, respondebat, imò & discipulos, quos novimus, in his quidem instructos, post se reliquit. Poeticam etiam coluit hispanis numeris, quibus publici juris fecit opusculum hoc insignem titulo.

*Nulla ad bonos mores sera vita est,* christianis peccatores admonens documentis, non ut ad Ka-

lendas Græcas, quod dicunt, penitentiam cunctentur, sed de suis promptè sceleribus conuertantur. Mexici, typis Joannis Ruiz 1671. in quarto.

*Pia ad Jesum Christum Dominum columna alligatum lamentatio.* Mexici, eisdem litteris, anno 1675. in quarto.

261 FR. ANTONIUS DE FIGUEROA, Natione, ut conjectura est, Mexicanus, inter Goatemalenses natus, atque Regij & Militaris Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Institutum professus, ut ab eisdem Sodalibus per litteras docti sumus, Apostolicus Prædicator, totum conscripsit vernaculo idiomate, cui titulus:

*Sermones varij,*  
In folio, an in quarto, vel aliter, nescimus, qui apud suos in Conventu de Ciudad Real habetur.

262 P. ANTONIUS DE FIGUEROA VALDES, Natione Mexicanus, Mexicis ortus laribus, majorum imaginibus clarus, illustriorem multo sibi delegit Familiam, ubi per ætatem licuit, Societatem JESU, in qua votis se quatuor Deo religavit, & eximijs ac præclaris dotibus fulsit. Omnium ornamenta Sciendarum egregio potius ingenio studioque æquali, facile comparavit, emittit verò, cum amœnioribus litteris, Oratoriæ & Poesi latinis, adeo ut extempore diceret tanta sermonis eloquentia proprietate que,



que, quanta Docti alij cuperent eloqui meditato; cum etiam in Philosophia, & qua latissime patet omni Theologia, atque etiam civilis & canonici Juris sapientia: nec in hispana dictione sermonibusque sacris habendis inferior sibi fuit, cunctis in ejus labijs manibusque Musis ultero insidentibus, quarum subinde illicijs tracti non vulgares modò, sed etiam homines eruditi audire illum sæpe cupiebant. Quæ eo majori laude sunt omnia, quòd singulis insimul incubuerit, multis Antecessorem annis agens in palæstra Gymnasij, cætera minime prætermittens, imò eis plura pro instituto conjungens ad animarum attentantia salutem, Philosophiam Angelopoli docuit, in qua discipulum habuisse gloriamur nostrum in ipsa Magistrum P. Marcum de Somoza, egregie eruditum, aliosque haud abfimiles.

263. Theologiæ itidem in eodem Collegio scribenda & dictanda tandiu institit, quo usque in Maximum Mexicæ traductus Primatiam moderatus fuit Cathedram. Interea Provincialibus comitijs indictis pro delegandis ad Europam Procuratoribus, suffragante plaudenteque gravissimorum PP. Congregatione, destinatur. Socio ei dato egregio viro P. Petro Ignatio de Loiola. Quod vero ad Primarium Theologiæ Professorcm spectet Conclusionibus eo tempore præsidere

eidem nuncupatis Congregationi honoris causâ & officij, per diem integrum, mane Theologicis decem & octo titulis, è quibus singuli graviore & multas id argumenti exhibent propugnandas; vespere autem sex ad Jura atinentibus, & similiter gravidis; hanc Nolter spartam ornavit multo cum sapientissimorum, qui aderant, plausu: nam cum gratissimus ijs esset Doctoribus Jurisque Antecessoribus in Universitate Mexicanensi, qui de more, tempore vespertino erant disputaturi D. D. Carolo Bermudez de Castro, Primario Canonici Juris Magistro, postmodum Archiepiscopo Manilensi: D. Josepho de Torres & Vergara, Primario Juris Civilis Doctori multis titulis ornatissimo, alijsque similibus Academia Proceribus; continere se non valuerunt, quin ante quam theses scholarum ritu argumentis tentarent, latina singuli Prohisione Delegato ad Europam Curias Præsidi, ipsumque destinanti Provincia Mexicane multa eruditione gratularentur. Tum ille, qua erat in dicendo faucundia, extemporanea repouit oratione, tam ad proposita sibi nata, quam qua multo fuisset studio quaesita.

264. Inter suo tempore arripuit cum Socio multis instructam navibus classem in Hispaniam reducem petiturus, qua feliciter quidem ad Habanensem appulit Portum, sed inde solvens versus

que Europam tendens, ad fretum Bahamæ & Floridæ littora luctuosissimo casu naufragium fecit die S. Ignatio Loiolensi sacro anno 1715. plurimis navitis & vectoribus percuntibus, Nostroque & Socio, qui egregio morientibus fuerant auxilio, hortantes monentesque perseverare cunctos, uti contritione scelerum misericordiam Dei invocarent, animasque ad Sacramentalem absolutionem opportunè disponerent, Jesu Christi, cujus Imaginem è Cruce pendente ferebant, Sanguine pretiosissimo confidentes. Jacturam certè maximam Provincia Mexicana Societatis JESU passa est, imò & universa, quæ latissime porrigitur, Hispania Nova hisce viris orbata, quos ad maturitatem usque insignes & literis & religiosis moribus duxerat. Quòd ad Nostrum spectat, placet ejus hic elogium innuere, quod Amicus noster P. Vincen-tius Lupeçius, ejusdem Societatis, vir in paucis eruditissimus, Magistro suo in Theologia conce-xuit data occasione, in aureo opere quòd Mss nobilem communicavit, à capiteque ad calcem, perlegimus, *Secula immaculata Conceptionis Marianæ* inscriptum: seculo itaque 18. pag. 873. Periclem jure nominat & Americanæ Oratoriæ fulmen, in utraq; Theologia clarissimum, & delibatum amoenissimum omnium fere scientiarum florem. In scholæ arena Martem robustam Hercu-

lemque vincendis natum mon-stris disicultatum: In defendendis Problematis admodum facilem, ac demum talem hominem tantumque, quo in uno locupletiore multo nova Hispania thesaurum habuerit illis omnibus quibus fecundissima auri argenti que venæ ejus ditescunt. In hunc hæcenus sensum ille. Et verò elucubrata à Nostro opeta gemmis non injuria nobilissimis comparanda dicet qui lægerit, quamvis majorem earum partem vel amissam doceamus vel absconditam thesauri instar ritu & gemmarum. Recensere nihilominus possumus & quæ in scrijs habemus nostris, & quæ non visa licet à nobis, indubiè ab eò profecta novimus, accepimusque à fide dignis testibus. Habemus quidem Theologicas elucubrations in quarto.

*De necessitate Scientiæ Mediæ.*

*De justificatione impij.*

Scimus è suggestu Scholæ distatse

*Tractatum de Ente supernaturali.*

*Tractatum de Merito justij.*

Quibus si alios & Theologicos & Theojuridicos adderemus nobis ignotos, æque multi ac nobiles essent. Philosophici verò, quorum itidem exemplaria multa sunt oportet, nostratum more censentur

*De Summularum.*

*De Logica.*

*De Physico auditu & ascultatione.*



*De Metaphysicis.*

*De Anima.*

*De Ortu & Interitu.*

*De Cælo, Mundo, & Meteoris.*

Tandem è Latinis Prolusionibus, Sermonibusque Hispanis pulcherrimis omnibus, aliqui compingi possent Tomi, quos fortè editos cum alijs Operibus legeremus, ni avarum juxtà invidumque Oceanum cuncta unà cum Authore absorbuisset.

265 D. ANTONIUS FLORES VALDES, Natione Mexicanus, è Michoacanensi Diocesi oriundus, Latinitate instructus, Mexici, alumnus Regij S. Ildefonsi Collegij, Philosophiam, moxque Theologiam tam avidè hausit & fauste, ut ipsarum academicis laureis insignis, Academijs in eodem Collegio pro utriusque Sophiæ exercitatione pridem destinatas rexerit Præses, tum canonico Juri haud minorem operam enucleandò possuit, gradumque subinde meritò tenuit. Ubi, absolutis studijs, egregio plausu sibi comparato ab perspicuitate, amœnitate, & sublimitate ingenij, multaque & floridissimâ eruditione, patriam remeavit, sacris iniuriatus, Præfecturam Scholaris Sodalitij pro Moralis Theologiæ nodis solvendis adeptus in Urbe Porosina, Illmò, decreto Pontificis ditionis ejusdem, eo ita defunctus est munere, ut insimul Oratoriam sacram concionibus pulcherrimis excoluerit, è qucis nuncupatam mox insinuato Antistiti

D.D. Martino de Elizacochea, publica dedit luci hoc hispano titulo

*Cælestis conceptio & nativitas Mexicana Imaginis Guadalupæ SS. Deiparentis.* Mexici, ex Chalco-graphia D. Mariæ de Ribera 1750. in quarto. Extat. tom. 19. Collect. nostræ.

266 D. ANTONIUS DE FOLGAR ET AMUNARRIS, Natione Mexicanus, nobili admodum stirpe Mexici ortus, à PP. Societatis JESU ad SS. AA. Petri & Pauli Grammaticam ut accepit, Philosophiam ex eodem fonte haustus, Regium S. Ildefonsi Collegium adivit, violacæque decoratus trabè primos inter æquales suos habitus meritò, insignitusque gradu in Universitate, ejusdem albo Theologorum voluit adscribi, in quorum Aula multum profecit, adeo ut exacto statuto quadriennio reportatâque laurèa Baccalaureatus, sponte lites ex omni Scholastica Theologia decem & octo divisas titulis, ut sit à provectoribus, defendendas mane palam posuerit multas & graves, ad vesperam autem Theojuridicas ad sex reductas titulos propugnandas pariter dederit in amplissimo Universitatis Theatro publicis destinato concertationibus, non absque Magistrorum ex omnibus Ordinibus plausu. Hæc inter S. Philippi Neri Academicis, coopratu, eorundem pensa multa variaque exsolvit, cum Scholastica & Mo-

ralia, Poetica tum etiam & Oratoria. Doctor publicè inauguratus, insignitusque Sacerdotio, confessionibus excipendis, habèdisque se dedit concionibus, quas ingenio confectas & arte, juxtà que sacra pulchras eruditione Docti viri probarunt. Constitutâ Regiâ & insigni Ecclesiâ Collegiâ propè Mexicana Pomaria apud Sanctuarium à Guadalupânâ SS. Mariæ Virginis Imagine ante duo secula miraculo depictâ notissimum, is unus fuit è primis Canonicis, qui à Catholico Rege Patronatus sui jure destinati, ecclesiastico ritu instituti fuerunt pro Dei cultu & Purissimæ Deiparentis. Huic in præsentia muneri vacat, Censoris Theologi honore à Trium-Viris Fidei Mexicæ adactus. Pridem in publicum dederat à se conditos Panegyricos habitos his titulis vernaculo idiomate:

*Fortuna America potior, scilicet, Instauratio Imaginis Servatoris nostri è Cruce pendens divinitus facta.* Mexici, apud Franciscum de Ribera Calderon 1731. in quarto.

*Conventiones amoris Patrem inter æternam & S. Josephum.* Mexici, in Regia Typographia D. Maria de Ribera 1734. in quarto. Extat. tom. 7. Collectionis nostræ.

Nuper verò hispanis formis & eisdem recussit & alios primùm edidit Codice hunc in modum scripto:

*Sermones panegyrici, in Mexicâ Urbe Imperiali recitati, &c.* Man-

tuz Carpentanorum, apud Antonium Marin 1753. in quarto.

Mss reservat multos luce publica haud indignos, brevique edendos; itemque pro suo paratum usu

*Compendium Theologiæ Scholasticæ, variarumque Juris disputationum,* quod nonnumquam habuimus præ manibus.

267 D. ANTONIUS DE GAMA, Natione Mexicanus, clarissimo Lusitanorum sanguine Mexici genitus, alumnusque Regij S. Ildefonsi Collegij, apud Maximum Soc. Mexicæ Latinitati addiscendæ operam dedit & Philosophiæ, Theologiæ autem in Academia, cujus inter Doctores suo tempore eminuit, Decanumque egit multis nominibus venerabilem. Totos quadraginta annos Theosophiam docuit, biennio quidem sacra interpretatus Biblia, dein Vespertinæ, & tandem Primariæ Antecessor Cathedræ, in qua demum Emeriti honores geminatis utique titulis retulit. In quotidianis prælectionibus tam erat assiduus, ut ne gravissimis causis prætermisissent: nam ut ab ejus discipulis jam pridem audivimus, accidit, ut quadam illi die omnes abfuerint, quod Magistri Sororis an Matris ambigimus defunctæ corpus ea ipsa die publicâ effretendum pompâ novissent; proximè verò sequenti luce Gymnasium ille ingressus quæsit, qui præterito vespere eorum venisset nullus, coactusque ipse recesserit:



quæ reponentibus in causa fuisset domesticum funus, quo eum judicaverant præpeditum, Minime enim verò, inquit, quamvis namque Civitas ruat, si tamen Academia consistat, agraque valetudine non impediatur, Gymnasium petam. Et porro ita ferè tandem evenit: Anno siquidem 1692. populari excitato tumultu, fusque deque Urbe omnibusque actis, Regio conflagrante Palatio, publicisque Aedibus, & alijs permultis ardentibus, die tamen subsecuta luctuosissimam noctem in qua isthæc contigerant, ille perinde quasi quæta esset Respublica, funestumque nihilum passa, Aulam adivit, consuetam traditurus lectionem.

268 Academia Rectorem egit postquam regendis Cathedris supersederat, quamquam transacto quadriennio (quo datus per octo virorum suffragia Emerito Professori Vicarius secundum Statuta nostra Cathedram est rectorus) ipsam repetijt, cui ad mortem usque sedulo incubuit, quam & si octogenarius aspexerit, tam fuit compos sui, & in Scholarum apicibus promptus, ut cum satis frequenter Præses adesset conclusionibus, tam quæ Cathedræ nomine ipsi obtingebant, quam quibus Decani titulo jure destinabatur, de tot tamque varijs tricis & difficultatibus læpe occurrentibus, expeditissime loqueretur, egregia ut decebat eruditione, qua de testis nos ipsi sumus, qui

ipsam audivimus, signatim in concertatione gravissima, quæ indicta fuit in Aula maxima Academica coram frequentissimâ doctissimorum hominum multitudine pro excipiendo salutandoque recens advecto Archiepiscopo Mexicano Illmo. D. D. Fr. Josepho de Lanciego & Eguilaz, ipso cum perillustri Metropolitana Capitulo adstante argueunteque: Præerat Noster, ut cui secundum Scholæ statuta, vices inter Antecessores pro hujusmodi actibus distribuente Primarios inter Facultatum omnium & Vespertinos, ea obtigerat: Reminiscimur enim verò quamvis 37. retro ab hinc annis res evenerit, perdoctè illum è Cathedra de Divina Scientia Media, de Merito, de Maternitate Dei, deque similibus in disceptationem positus, inter respondendum dixisse.

269 Alijs item illustris numeribus fuit, Abbas Congregationis Clericorum gravissime Prototypæ Parentis Divi Petri ab ipsis electus, Examinator Synodalis à Præsulibus Mexicæ destinatus, & post Præbendam in Metropolitana Ecclesiâ habitam, Penitentiarij Sacerdotium doctos inter recitatos candidatos, cui fuit immortalis. Ad hæc insitâ mansuetudine & humanitate omnibus charus, pauperibus in primis acceptus, quibus alendis redditus obvientes undique impendebat ex animo, in propriamque domum milicos

Genus aucupati sumus. Nec à se duntaxat elucubratis profuit Opusculis, sed verò etiam alienis, de re publicâ multum propterea meritis: Curavit siquidem ut opus immortale à Ludovico Bezerra Tanco eruditissime concinnatum atque editum, postea verò auctum, nec cum additionibus adhuc excusum, *De mirabili Guadalapana Mexicæ Deiparentis Virginis Apparitione*, eo è visis abeunte, typis denuò prodiret Mexicanis, cui etiam Nuncupatoriam Proemiumque dedit, in quibus quanto adversus Purissimam Deiparentem afficeretur amore indicat satis. Prodiit liber ex Officina Viduæ Bernardi Calderon 1675. in quarto, de quo multa in *Ludovico Bezerra Tanco* habemus dicenda.

Meminit Nostri P. Julianus Gutierrez Davila in Vita P. Barciæ pag. 231. n. 194. & Plaza in Chronicis Universitatis multis in locis. P. Florencia in Historia Guadalapanæ Virginis, cum alibi, tum num. 186.

270 D. D. ANTONIUS GARCIA, Natione Mexicana & Patria, apud Regium Divi Ildesonsi Collegium, quod regimini subest Societatis JESU, alumnus, & Maximum ejusdem Societatis, & Universitatem frequentavit, institutusque Romanis litteris, atque Aristotelicis disciplinis, Philosophicâ insignis lauræ, albo discentium Jura adscribi voluit, sedulam amplissima Facultati ope-

trahebat miseris, utique sublevandos. Pœnitentibus Parer pro officio aderat amantissimus: Cappuccinas Virgines statutis temporibus Confessarius datus eidem extraordinarius, fovebat, solabatur, instruebat, nec Sanctimoniales cæteras præteribat. Denique christianis & Sacerdote dignis moribus clarus obit in Domino anno 1715. Mense Januario. Ex his quæ laboravit Operibus, extat edita latino sermone

*Oratio funebris habita in Ecclesia Metropolitana Mexicæ pro Carolo II Catholici Hispaniarum Regis parentatione,*

In Libro ejus argumenti opuscula necente sub titulo hispano *Sol deficiens, etc.* Mexici, apud Joannem Josephum de Guillena Carrasco 1701. in quarto.

Quæ porro expiscari nobis licuit Mss. ex Academia Annalibus hæc sunt:

*Tractatus de Scientia Dei.*  
*Tractatus de Divina Scientia Media.*

*Tractatus de SS. Trinitatis Mystero.*

*Tractatus de Angelis.*

*Tractatus de Virtutibus.*

*Tractatus de Peccatis.*

*Tractatus de Gratia actuali.*

*Tractatus de Divini Verbi Incarnatione.*

*Tractatus de BB. Virgine Maria.*

Reliqui, quos è suggestu dixit, nos prætereunt, libros evolventes Scholæ, ab anno 1670. ad 1715. è quibus relatos ha-



ram navaturus. Ingenio præditus haud exiguo, magnoque adversus sapientiam amore, quam auspiciatus fuerat, exegit feliciter viam, cujus ad metam apices Doctoratus in Jure canonico petivit tenuitque, plaudentibus Academicis Magistratibus; nec secus ipsum excipientibus Senatoribus Regijs, pro agendis apud Mexicicum Areopagum causis fuit destinatus. Fori juxta assuetus negotijs & Scholæ dissertationibus, dignus habitus est Octovirorum judicio (qui dignitate præstantes & literis, pro Cathedralium honoribus ad justam distribuendis lancem à Rege instituti sunt) ut Primariam Juris civilis quadriennio regeret, cui subinde cogitationes suas impendit & conatus, non penitendo auditorum profectu. Porro altiora occupaturum pro meritis subsellia mors interceptit, demersitque uberiorum fructuum spem. Scripsit quod à Codicibus Academicis erutum exhibemus.

*Commentarium in titulum de Legitimis Successionibus.*

Reliquitque in Schedis  
*Juris Allegationes Praelectionesque varias.*

171 F. ANTONIUS GODINES, Natione Mexicanus, Zamore nudipedis S. Francisci alumnus Provinciae, quæ à S. Didaco nominatur, Mexicæ, professione junctus, literis & moribus clarus, triennium posuit in docendâ Philosophiâ,

mox verò totis annis 12. Theologica Cathedræ incubuit regenda. Provincialis etiam munere clarus fuit, teste Medina in ejusdem Provinciae Historiâ pag. 66. n. 216. Scripsit

*Cursum Philosophiæ.*

Et

*Tractatus Theologicos*, à Sodalibus inter manu exarata Opuscula requirendos.

172 ILLMUS. D. D. ANTONIUS GONZALEZ DE ACUÑA, Natione Peruanus, Limæ ortus insigni Americae Meridionalis principe Civitate, ad Septentrionalis tadem Americae Domicilium translatus, quod secundum politicam Geographiam ad Nostros spectet Provincia de Caracas in Insula Venezuela appellata, cujus Ecclesiæ Pontificalibus fuit infulis initiatus: Apud natale solum Ordinem Prædicatorum in Conventu SS. Rosarij Limensis Provinciae nuncupatis votis sibi delegit, Doctorisque in Sacrâ Theologiâ apice insignitus in perecelebri Universitate Limæ florente, ejusdem Cathedras moderatus, in Catholici Regis nostri Curiam Procurator dimittitur. In ea dum ageret, Definitor Provinciae à Sodalibus destinatur, proptereaque Romam transfertur. Eximiam ut erat in negotijs tractandis peritiam, & cum Scientiâ alijs florebat dotibus multis, statim ab Ordinis Generali Magistro admodum R. P. Joanne Baptista de Marinis tanti est habitus, uti so-

cium

ciium ipsum adlegerit pro rebus ad Indiarum Occidentis Provincias opportunè expediendis, quam titidem ornavit spartam Dominicanorum clavum tenente M. Joanne Thoma de Rocaverti, viro meritis æque ac purpura deinceps Eminentissimo, qui proximè Marinis successit. Comitij Ordinis generalibus bis interfuit cum jure suffragij Limensium nomine Sociorum. Vertebarur per id temporis in Romana Curia arduum de Canonizatione florentissimæ Virginis S. Rosæ à Sancta Maria, Limensis, negotium, quod ut fauste & ocyus expediretur, institit profuitque multum pro Dei gloria Americaeque eximio decore. Ubi hæc egerat, à Catholico Rege destinatus Episcopus Caracensis, initiatus Romæ Mense Novembris 1670. anno sequenti iter arripuit Ecclesiæ demandatæ sibi invigilaturus. Alia inter, quæ in ea gefisse ambigimus minimè, nos tamen latent, admodum clara, id compertum habemus, institutum à se Collegium à Sancta Rosa Limensi nuncupatum, quod atate demum nostra, unitum scimus Regiæ ac Pontificiæ Universitati eximio Reipublicæ bono inibi conditæ, procurante in primis id operis D. D. Francisco Martinez de Porras. Noster typis exhibuit, quæ subnectimus operatio sermone.

*Compendium admirabilis vite Rosæ de Sancta Maria Limana, Or-*

*dis S. Dominici, ex prolixiori vita à Fr. Leonardo Hansen anno superiori edita contractum. Romæ typis Tinassij 1665 in 32. pp. 148. Editio 8. prodijt Romæ 1672. in octavo. Eadem gallice reddita prodijt Avenione 1668. in 16.*

*Ejusdem S. Virginis vitam hispano fustiore scriptam stilo paratan habuisse apud D. Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispaniæ Nova pag. 96. tom. 1. & Scriptores Ordinis Prædicatorum Aegimus ad annum 1681. pag. 692. tom. 2.*

*Bullarium Confraternitatum Ordinis Prædicatorum. Romæ, typis Camerae Apostol. 1668. in quarto pp. 207. apud Scriptores ejusdem Ordinis mox citatos.*

*Summarium Privilegiorum Ordinis Prædicatorum à S. Sede Apostolica concessorum ab anno 1216. quo ordo fuit confirmatus, ad 1669. Romæ eisdem typis 1670. in quarto. Accessit*

*Statu Causarum Beatificationis & Canonizationis Servorum Dei & Beatorum ejusdem Ordinis à Registris S. Rituum Congregationis excerptus, pagg. 212. Huc usque relata extate Romæ in Casanatenfi Dominicanorum testantur Authores Ordinis ejusdem Scriptorum annales texentes. Hispano autem idiomate publicavit*

*Testimonium ad R. P. Ordinis Prædicatorum Generalem Fr. Joannem Baptistam de Marinis, Matriæ, 1659. in quarto pagg. 447. quod asservari Parisijs apud Dominica-*



nos ad S. Honorati iidem sunt Auctores.

Paratam prælo habuisse

*Historiam Generalem Provinciae S. Joannis Baptistæ Ordinis S. Dominici*, testis est D. Nicolaus Antonius citato loco, & ipsam Mss allegare Fontanam in Theatro pag. 606. Critici Galli citari hæcætenus docent.

Italico idiomate, ejusdem Nationis usus Interprete, ut Socios suos Missionarios instrueret, Visitatorem agens & Vicarium Generalem Provinciarum Regni Neapolitani, edidit

*Brevem S. nostræ Fidei Catholicæ explicationem*. Neapoli, ex Officina Novelli de Bonis 1662. in 12.

D. Nicolaus Antonius meminit Operis alterius hispana lingua, quod subterfugit citatos Gallos, nempe,

*Compendium Historiæ Provinciae de S. Joanne Baptistæ Peruvianis, Ordinis Prædicatorum*. Matrivi 1660. in quarto.

+ 273 F. ANTONIUS GONZALEZ, Natione Mexicanus, in Opido Janhuiltam Episcopatus de Goaxaca, parentibus Andrea Gonzalez, & Maria de Zepeda legitime genitus, & christianis moribus educatus, ad S. Dominici de Antequera Prædicatorum Ordinis institutum ambibit, religiosisque votis se Deo mancipavit 11. Junij anno 1689. Liberalibus artibus eruditus & Sacra Theologia, ubi Presbyter ordinatus eva-

lit, pro instituendis Indis Nationis Mistecæ à Superioribus fuit electus. Callebat quidem gentis idioma, cui cum observationes junxerit accuratas, strenuamque praxim, primos inter Magistros habitus est. Prædicatoris generalis titulo in ea lingua insignis, multas familiæ Domos Prior Vicariusque texit. Ut quam nactus fuerat spartam, multis ornaret, librum in octavo conscripsit hoc titulo hispano, cæterâ idiomate Misteco:

*Versio Catechismi hispani P. M. Hieronymi de Ripalda Societatis Jesu in Linguam Mystecam. Accedit Epitome præcipua exhibens nostræ Catholicæ Fidei Mysteria, & methodum pro sacro Viatico Indis in eo idiomate ministrando*. Angelopoli, ex Typographia V. Michaelis de Ortega 1719. in Octavo.

+ 274 D. ANTONIUS GONZALEZ LASO, Natione Mexicanus, Angelopoli natus, Parochiam Urbis admodum claræ & fidelissimæ Tlascalensium jure proprio ex collato sibi titulo rexit, quo usque in Capitulum Cathedralis Angelopolcois à Rege vocatus, ejusdem insignitus Præbenda fuit. S. Inquisitionis Officij Commissarium egit. In dicendo è superiori loco conspicuus, frequenter, nec sine plausu, conciones habebat, è quibus nonnullæ evulgatæ sunt typis idiomate hispano conceptæ, scilicet

*Oratio panegyrica in translatione cinerum V. viri Didaci à San-*

*ctis Ligerò, apud desertæ Tlascalæ heremiticam vitam professi, cui Auctor fuerat à sacris Confessionibus*. Angelopoli, ex Officina Viduæ Joannis de Borja 1657. in quarto.

*Oratio panegyrica de Purissimâ Deiparentis Virginis Conceptione*.

*Oratio panegyrica de Proto-Parente Divo Petro*.

*Oratio panegyrica S. Philippi Nerij*.

*Oratio panegyrica B. Rita de Casia*.

Authoris unâ cum datis Opusculis certos nos fecit D. Didacus Bermudez de Castro in Mss de Scriptoribus Angelopolitanis, testatus istos sermones typis excussos, è quibus præter primum, cæteros invenire non potuimus.

275 ILLMUS. D. D. F. ANTONIUS GUADALUPE LOPEZ PORTILLO, Natione Mexicanus, in Diocesi Guadalaxarensi, seu Nova Gallecia, parentibus, multis familiæ stemmatibus admodum claris genitus, piè juxtâ & liberaliter educatus, Mexicum amittitur litteris excolendus. Alumnus Collegij S. Ildefonsi Grammaticam haurit Philosophiamque à Magistris Societatis JESU apud SS. AA. Petri & Pauli Maximum Gymnasium eas profitentibus: Academiam insinuat frequentat, & exactis præscriptis curriculum, laureâ donatur, anno ætatis 12. bienniumque proximè consecutum Theosophiæ inchoandis studiis impendit. Ad propria reverfus, brevi ita se eis abdicat om-

nibus, ut ne quidem illustria reservert stirpis cognomina, nobilissimum longè adsciscens sibi à Deigenitricis Imagine, veteri apud nostrates religione signisque præclarissimâ, nuncupatâ de Guadalalaxe. Tum Scraphicam Provinciam Divi Jacobi de Xalisco Guadalaxarensis conceptis sacris votis aggreditur, moxque data ulterius Theologicis operâ talis tantusque evadit, ut, post Philosophiam, ipsam è Cathedra doceat Sodales (è quibus multi insignes doctrinâ, Familiæ plures annos ornati fuerunt) donec Emeritus renunciatur. Interea prudentiam moresque Religioso dignos doctrinæ ita sociat, ut Custos & Pro-Minister Romam destinetur ad Comitia Ordinis generalia, coram Sanctissimo Patre Innocentio XIII cogenda. Intereest ipsis cum jure suffragij, tantique à Superioribus deum habetur, quod multis in Ordine augeatur honoribus: Romæ quidem à secretis Curie deligitur, hinc Indiarum in Hispania, & totius familiæ Franciscanæ: ad hæc omnibus Provinciis Pater datur, quæ eximia quidem domestica decora.

276 Porrò extraneis quoque fulget clarissimis, sacri Pontificij Solij Princeps, Domini nostri Patris à SS. P. N. Benedicto XIII Domesticos inter Prælatos adscitus, & à Catholico Rege nostro Philippo V pro ditione Comaiguensii Episcopus præsentatus, & à Consilijs assumptus. Muneri ut



faciatur, Americam repetit, suæ que Ecclesiæ regendæ sedit, nullumque non movet rudentem, ut ipsam ad antiquorum Patrum normam exactissimè moderetur. Horis canonicis in choro Cathedralis Ecclesiæ persolvendis adest ita assidue, ut qui nihil præterea curare videatur, cum tamen procurandis innumeris rebus totus incumbat. Singulis dominicis diebus populo catechismum tradit, solennioribus autem festis, & quadragesimæ jejuniis tempore concionatur: poenitentia alia que Ecclesiæ Sacramenta & sanis & lucet etiam correptis ministrat. Templum ædificare quatuor, mirum quantum & laboraverit & expenderit in tantâ proventuum inopia, qui vix pro alenda familia sufficerent, Deo ipsi opes pro his ministrante, quæ gloriæ suæ, & publico profutura erant commoda, nempe Ecclesiâ eique juncto Valerudinario S. Joannis de Deo; Cœnobio Parentis sui S. Francisci, quod in Opido Theusgalpa corruerat, atque ejus Templo; item quod pro augenda adversus Beatissimam Deiparentem religione, sub titulo Charitatis à se excitato, multa argentea suppellectile dives fecit; atque etiam Collegio Seminario, juxta sacrosancti Tridentini Concilii sanctionem pro instituenda juventute à se itidem erecto, & cum Sacello sacrisque parentis ornato, tum etiam Magistris instructo, qui & virtu-

tem & litteras Discipulis traderent.

277 Nec propterea minus adornandi sollicitus Cathedralis suam, egregijs ex argento donarijs pro Dei cultu augendo insignivit eam, multisque constructis operibus locupletavit. Quod verò nil antiquius haberet, quam idoneos docendis populis ministros excolere, Clericos juvenes aliosque efformandos litteris sic suscepit, ut quotidie in Palatium convenientes, aut Grammaticam doceret, aut in Philosophicis erudiret, aut Moralis Theologiæ fundamentis doctrinisque imbueret, è quibus multos deinceps Præceptores Diocesis egregio fructu sibi gratulata est, Collegiumque nactus. Familiars sic instituit, ut religiosi illos tyronibus quam simillimos diceret, quibus cum quotidie meditationibus sacris vacabat dimidiâ, priusquam ad aras faceret, hora; alteraque Mysteriorum peractis, dimidiâ nocturno autem tempore unâ omnes virginum dicebat Pfalterium. Commune & ipsi triclinium & cæteris, pia semper conditum lectione, cui opportunas subungebat animadvertiones. Erga Deiparentem amore fervens, oviumque demandatarum sibi salutem procurans, has in illam devotas ut redderet, publicas instituit pro canendo Rosario supplicationes, quibus & ipse intererat, exemplo præcurus in his quæ docebat. Longè tamen operosius agebat

visitationi deditus Provincia, quam, nulli parcens labori, lustravit, Paganos attingens confertim, donis grati pergratis ipsam allecans ad sacra nostra moribusque humanissimis. Singulis in id locorum diebus conciones ad populum habebat morales, excipiendis venientium ad se sacris confessionibus aderat in Parochia, languentibusque animabus dexterrimè medebatur.

278 Publica ut averteret offensa, nullum non movebat lapidem, paternis hortationibus, cum negligere ad fontibus, reprehensiones addens, & severe in illos animadvertens. Pauperibus subveniebat, invisebat ægros, miseros solabatur, nullisque auxilio decrat, quod impendere cunctis solenne habebat, seu in Urbe & sede sua quiescere videretur, sive Provinciam undique circumiret. Atque istis deditum luctuosissima suis, sibi verò felicissima mors invenit, quam ominari licet ex transactâ religiosissimè vitâ, die 6. Januarij 1742. Parentatum ei fuit non modò in Ecclesia sua, & in Provincia de Xalisco à Sodalibus Franciscanis, quorum nomine & voto floridissima juxta & funebri habita declamatio, typis est edita; sed etiam Goatemala in Collegio Societatis JESU, Magistris ex ipso sapientissimis & latina & hispana oratione res ejus gestas graviter profrequentibus, ejusdemque nepote D. Francisco Lopez Portillo, Gua-

temalenfis Urbis Senatore perpetuo, pompam solennissimam accurante, quæ unâ cum dictis orationibus prodijt Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1743. E multis porro, numeris omnibus absolutis clogijs, quæ ornatus parvit tumulus, placet transcribere pulchrum, quod subjungimus

EPITAPHIUM:

*Quos clausit moriturus ARGUS,  
aperi, Viator, oculos.*

*Una centum nocte occupante:*

*Mille uno quoque specula clarens  
admirationi.*

*Tanto funeri præfice adstant VIR-  
TUTES.*

*Omnes regnarunt in vivo, omnes la-  
mentatur in morituro.*

*Prima hac lege lachrymas indicit  
JUSTITIA,*

*ut in justis solvendis*

*Injustus nullus sit mestitia, aut luctus  
excessus.*

*Privatus sæpe cum vitio, bonus Prin-  
ceps cum virtute lugeat.*

*Medium in lachrymis exulans à PRU-  
DENTIA,*

*Cum si alia Virtutes Principem,  
lugeat ipsa perdidisse Magistrum.*

*Pastoris exitum sine steru stupor præ-  
fert, minime Fortitudo:  
quò sapius hac steterat, in tumulo  
plorat cadentem.*

*Et nisi ab illo armata,*

*Vires vel ipsi Viriui præ dolore de-  
ficerent.*

*Temperantia, qua in alijs Virius,  
ita in Pastore natura visa est,*